

tem talis auxilii efficacis, propriam et peculiarem esse ad perseverandum, quia in illo cernitur specialis difficultas quæ in singulis actibus non invenitur. Secundo, inde sequitur adæquatam rationem ponendi hoc auxilium esse infirmitatem hominis, et alios defectus contractos ex peccato originali, nam inde oritur difficultas perseverandi. Tertio argumentatur, quia, secundum Augustinum, auxilium efficax solis prædestinatis datur; ergo tantum datur ad illos effectus qui sunt proprii prædestinatorum; hi autem sunt perseverantia in gratia, et pœnitentia finalis; ergo ad hos tantum effectus est necessarium hoc auxilium. Illatio est evidens. Assumptum autem videtur plane doceri ab Augustino, dicto loco de Corrept. et grat., cap. 7, usque ad 12; et dicta quæst. 2 ad Simplic., et de Prædestin. Sanctor., cap. 8 et 16; de Dono persev., cap. 8 et 14; libro de Gratia Christi, cap. 12; et libro 1 contra duas Epistol. Pelagianor., cap. 9 et 20. His enim locis ait auxilium efficax esse illud, quod datur secundum propositum miserentis Dei, et his dari qui sunt electi et a massa perditionis discreti, et similia, quibus significat illud propositum, ex quo datur auxilium efficax, non esse nisi efficacem electionem ad gloriam, quæ est propria prædestinatorum, ac proinde auxilium efficax esse proprium illorum. Quarto, possumus argumentari, quia si auxilium efficax esset ad singulos actus necessarium, tot multiplicanda essent auxilia efficacitæ, quot essent actus supernaturales specie distincti, quia principia distinguuntur per actus, et auxilium efficax datur ut principium sui actus. Consequens autem videtur absurdum; quid enim necesse est tot multiplicare auxiliorum species?

3. *Contrarium verius.* — *Probatur primo ex Augustino.* — *Ex Scriptura.* — *Gratia efficacitæ ad singulos actus necessaria est.* — Nihilominus, contraria sententia tanquam omnino vera tenenda est, ac dicendum gratiam efficacem dari et requiri ad omnes et singulos actus supernaturales, qui ab hominibus fiunt. Probatur primo ex sententia Augustini, qui simul adducit et interpretatur Scripturas, ex quibus hæc veritas colligitur. Primo igitur Augustinus, loquens in particulari de fidei actu, vel de actu dilectionis, aut pœnitentiæ, dicit non fieri a nobis *sine interna et secreta, vel alta et occulta vocatione Dei*, quibus verbis solet ipse gratiam efficacem significare. Est autem eadem ratio de his et cæteris actibus; ergo ad omnes et singulos necessaria est. Major consta-

bit facile legenti Epistolas 105, 106 et 107 Augustini, et quæstionem 2 ad Simplician. sæpe citatam; et quæstionem 68, in lib. 83 Quæstionum. Secundo, quod Christus dixit Joan. 6: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*, ibi Augustinus interpretatur de tractu per gratiam efficacem, et tamen illud non intelligitur de sola perseverantia, sed etiam de tractu ad fidem, vel ad pœnitentiam: utrumque constat ex eodem Augustino super eundem locum, et 5 contra Julian., cap. 5, et de Prædestin. Sanctor., cap. 8 et 11. Et idem habet Fulgentius lib. 1 ad Monimum, cap. 8 et 14, ubi eodem modo exponit illas locutiones Scripturæ: *Faciam ut faciatis*, etc., Ezechiel. 36, ubi non tantum dicitur: *Faciam ut perseveretis*, et ad idem facit quod Paulus ait: *Deum operari in nobis velle*. Volumus enim quoties sancte operamur, et non tantum cum perseveramus. Tertio, eidem gratiæ efficaci tribuit Augustinus, quod præparat voluntatem hominis ad bene operandum, quæ præparatio in singulis actibus est necessaria, juxta illud: *Præparatur voluntas a Domino*, quod ita exponit Concilium Arausicanum, canon. 4. Assumptum constat ex Augustino in locis citatis, et 1 Retract., cap. 23 et 24, et libro de Grat. et liber. arbitr., cap. 16 et 20. Et tandem in idem redit, quod aliis locis ait, Deum per hanc gratiam ita movere sensum, ut accomodet assensum, ut ex iisdem locis constare potest; et lib. 2 contra duas Epistol. Pelagianor., cap. 9. Quod autem homo accomodet assensum ad singulos actus, necessarium est; ergo gratia efficax, juxta mentem Augustini in Scriptura fundatam, ad singulos actus necessaria est. Quod etiam confirmat sententia illa Augustini posita in Concilio Arausicano, cap. 20: *Multa sunt in homine bona, quæ non facit homo; nullum vero bonum facit homo, quod non præstet Deus, ut faciat homo*; per gratiam enim efficacem hoc præstat Deus, ut ex aliis locis ostensum est.

4. *Ostenditur ratione.* — Secundo, simpliciter ostenditur ratione, quia quoties homo operatur aliquem actum supernaturalem, supponitur in illo gratia præveniens data ad illum effectum, ut constat ex Tridentino, sessione sexta, canon. tertio et quarto; sed talis gratia consequitur effectum in eo qui operatur; ergo est gratia efficax; ergo repugnat operari quemcumque hujusmodi actum in particulari, quin a gratia efficaci procedat, quæ ratio generaliter procedit in singulis. Sed responderi potest inde solum probari, esse necessariam gratiam

efficacem concomitantem, a qua velut extrinsece auxilium præveniens denominatur efficax, quod alii non negabunt; sed contra hoc obstant dicta in capite primo hujus et præcedentis libri, ubi ostendimus gratiam efficacem esse etiam prævenientem. Et in præsentī probari potest, in omni sententia vel modo explicandi hujusmodi gratiam; non enim potest una et eadem ratio reddi in omni opinione. Qui ergo constituunt efficaciam gratiæ in prædeterminatione physica, requirunt illam propter concursum causæ primæ cum secunda, vel propter indifferentiam voluntatis, vel propter excellentiam actuum supernaturalium: omnes autem hæ rationes habent locum in omnibus et singulis actibus pietatis; ergo, juxta illam sententiam, necessario dicendum est hujusmodi gratiam efficacem esse necessariam ad omnes et singulos actus, et ita fatentur consequenter auctores illius sententiæ.

5. *Instantia.* — *Respondetur.* — At vero, si gratia efficax in vocatione congrua constituitur, etiam invenietur necessaria ad actus singulos, quamvis ex diverso principio et fundamento; præcipue enim fundanda est hæc necessitas in modo operandi Dei, et in magna perfectione providentiæ ejus, præsertim in his supernaturalibus, et quæ ad salutem hominum spectant. Nam imprimis Deus confert singulis hominibus ad singulos actus auxilia necessaria, vel convenientia, cum certa præscientia futurorum, saltem sub conditione; ergo, quando alicui dat vocationem cum qua in tempore operatur, jam ipse Deus præviderat fuisse eum illa operaturum, si ei daretur: ergo præcognovit talem vocationem fore congruam, et ut talem illam dare voluit; sed hæc ratio in omnibus et singulis actibus invenitur; ergo et vocationis efficacis necessitas. Dices sequi Deum velle dare vocationem incongruam, ut talem. Respondeo esse magnam differentiam, quia incongruitas habet rationem mali, et ideo Deus non vult illam, sed permittit. Congruitas vero habet rationem boni, quod Deus vult et intendit, et ideo ipsa gratia congrua, ut efficax est, datur ex intentione Dei: hoc autem modo datur ad omnes et singulos actus; ergo. Unde tandem confirmatur: nam Deus, juxta probabiliorē sententiam, prædefinit omnes et singulos actus supernaturales; ergo, ut infalibiliter illa prædefinitio habeat effectum, necessaria est gratia efficax ad singulos actus.

6. *Concluditur.* — Ex his ergo satis constat gratiam efficacem non dari tantum ad perseverandum, et finalem pœnitentiam agendam,

sed etiam ad omnes illos effectus, qui per actus supernaturales fiunt, ut confiteri fidem, quando oportet, vel implere aliquod supernaturale præceptum in quacumque definita occasione, vel etiam aggredi opus consilii, et similia; quia ostensum est ad singulos actus supernaturales esse necessarium auxilium efficax; ergo est etiam necessarium ad perficiendos effectus, qui sine talibus actibus fieri non possunt. Imo, quotiescumque actus vel effectus ordinis naturalis fieri non potest sine gratia, ut vincere gravem tentationem, vel amare super omnia Deum auctorem naturæ, etc., ut talis effectus, vel actus in esse prodeat, necessarium est auxilium efficax talis ordinis: nam rationes æque procedunt.

7. Accedit tandem quod sine ullo fundamento timuit ille auctor admittere necessitatem auxilii efficacis ad singulos actus, magis quam ad perseverandum. Quia si, auctoritate Augustini motus, efficaciam auxiliorum gratiæ in dono perseverantiæ recognovit, sententia Augustini eadem est de singulis actibus, ut vidimus. Nec in illo de Corrept. et grat. contrarium dixit: nam licet de perseverantia ibi tractet, alia non excludit, imo indefinite de vincenda tentatione et vitando peccato loquitur. Si autem ille auctor timuit ne tam ampla gratiæ efficacis necessitas libertati repugnaret, et sine causa timuit, ut infra videbimus, et inconstanter timuit, nam idem de perseverantia timere debuisset; quia etiam perseverantia per actiones liberas fit, nec auxilium ad perseverandum datur, nisi quatenus ad plures actus liberos successive tribuitur. Ac denique finalis pœnitentia per unum singularem actum interdum completur, quem libere facere necessarium est, ut constat; ergo immerito talis discretio, seu limitatio. Reliqua vero, quæ in fundamentis illius sententiæ attingebantur, sequenti capite expediuntur.

CAPUT III.

UTRUM AUXILIUM EFFICAX IN OMNI STATU ET IN OMNIBUS PERSONIS SIT AD SALUTEM ET AD OMNES PIETATIS ACTUS NECESSARIUM.

1. *Dubium primum.* — In hoc capite breviter nonnulla dubia explicanda sunt, quæ in fundamentis prioris opinionis, in præcedenti capite impugnata, postulatur. Est autem extra controversiam auxilium efficax, maxime necessarium esse hominibus lapsis, eisque fuisse a Deo præparatum ab æterno, et in tem-

pore dari, juxta mentem Augustini, dicto lib. de Corrept. et grat., cap. 11, et de Dono persev., cap. 14, ideoque de hoc puncto non disputamus. Sed primum dubium est, an efficax auxilium sit proprium prædestinatorum, vel etiam reprobis detur; quod enim solis prædestinatis detur, videntur probare testimonia Augustini in principio capitis præcedentis adducta; et potest confirmari, quia auxilium efficax datur ex absoluta prædefinitione divina illius effectus, propter quem datur; sed Deus non absolute prædefinit actus reproborum, sed tantum prædestinatorum, juxta illud Rom. 8: *Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, etc.*, et: *Quos prædestinavit, hos et vocavit*, utique vocatione ex proposito, ut exponit Augustinus, id est, efficaci; ergo reprobis non dantur auxilia efficacia, saltem prævia, sed ad summum concomitantia, quæ ipsorum liberam cooperationem intrinsece includunt.

2. *Datur auxilium efficax prævium omnibus, sive reprobi sint, sive prædestinati.* — *Probatur ex Scriptura.* — Nihilominus dicendum est verum et proprium auxilium efficax præveniens, quo Deus facit ut homo faciat, non solum prædestinatis, sed etiam reprobis dari. Probatur ex dictis capite præcedenti; nam efficax auxilium non tantum datur ad perseverandum in gratia, sed etiam ad consequendam gratiam per propriam et supernaturalem dispositionem; sed reprobi interdum ita vocantur, ut cum effectu justificentur, et credant, diligant, et pœniteant, sicut oportet; ergo recipiunt auxilium efficax ut ita faciant. Nam quod tale auxilium non solum faciat cum illis, sed etiam faciat illos facere, probatur aperte, quia testimonia Scripturæ, quibus probatur, verbi gratia, dari auxilium prævium efficax ad credendum, generaliter loquuntur de omnibus credentibus, sive reprobi sint, sive prædestinati, et sic de cæteris actibus. Assumptum patet ex verbis Christi: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*, et illis: *Omnis qui audit a Patre, et didicit, venit ad me*, utique per fidem; illæ enim particulæ, *nemo et omnis* nullum discrimen faciunt vel permittunt inter prædestinatos et reprobos, quoad necessitatem trahentis gratiæ. Et simili modo ponderari possunt alia testimonia capite præcedente allegata, et generalia verba Concilii Arausicani, cap. 9: *Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur.* Cum enim dicit *agimus*, non supponit fuisse præ-

destinatos, vel se tales reputasse, qui sic loquebantur. Ratio vero est, quia auxilium non est efficax ex ultimo effectu salutis æternæ, ad quem ordinatur, sed ex proximo propter quem datur: hic autem effectus in reprobis etiam invenitur, ut constat; ergo.

3. Neque Augustinus huic veritati contrarius esse potuit, cum ubique omnia pietatis opera tribuat efficacitati gratiæ, et Deo in nobis operanti, sive ab electis, sive a non electis fiant. Igitur ubi loquitur de gratia speciali prædestinatorum, vel includit non tantum unum vel aliud auxilium efficax, sed collectionem, vel seriem talium auxiliorum, quibus certissime liberantur quicumque liberantur, ut ipse loquitur de Dono persev., cap. 14, vel, per antonomasiam, efficacem appellat vocationem electorum, quia ex proposito efficaci æternæ salutis illorum datur; sic enim lib. de Prædest. Sanctor., cap. 16, dicit: *Vocat Deus prædestinatos multos filios suos, ut membra faciat prædestinati unici Filii sui, non ea vocatione qua vocati sunt illi, qui noluerunt venire ad nuptias, etc.*; et infra sic exponit Paulum, 1 Corinth. 1, dicentem: *Ipsis vocatis Judæis et gentibus prædicare se Christum, etc.*; illud enim verbum, *vocatis*, intelligit de certa quadam vocatione eorum, qui secundum propositum vocati sunt, quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, de qua etiam intelligit illud Rom. 9: *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia major serviet minori.* Ex vocante, ait, non quacunque vocatione, sed qua vocatione fit credens. In quo contextu videri potest docere Augustinus, omnem vocationem, qua aliquis fit credens, esse propriam prædestinatorum: sed hoc tam est absurdum, ut nec cogitari possit in mentem Augustini venisse. Loquitur ergo de vocatione ad fidem vivam fixam et stabilem, ut in fine capitis concludit, ita exponens alia verba Pauli Rom. 12: *Sine pœnitentia sunt dona et vocatio Dei*; intelligit ergo per antonomasiam dici vocationem ex proposito, illam quæ virtute continet justitiam perseverantem, de qua recte intelligitur illud Rom. 8: *Quos prædestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos etiam glorificavit.* Nam hoc ultimum necesse est intelligi de solis justificatis cum perseverantia finali; ergo etiam vocatio sumenda est pro tali vocatione, quæ vel virtute, vel collective protectionem singularem electorum includat. Hæc ergo sola vocatio vel gratia efficax est propria prædestinatorum, et ita exposuit

late locum illum Augustinus de Corrept. et grat., cap. 7.

4. Nihilominus tamen dantur aliæ vocationes, vel ad fidem, vel ad pœnitentiam, quæ nec sunt communes omnibus reprobis, nec solis prædestinatis dantur: *Multi enim*, ait Augustinus dicto lib. de Prædest. Sanct., c. 6, *audiunt verbum veritatis, sed alii credunt, alii non credunt. Volunt ergo isti credere, nolunt autem illi, quis hoc ignoret? quis hoc neget? sed cum aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas a Domino, discernendum est quid veniat de misericordia ejus, quid de judicio.* Non ignoravit autem Augustinus, non omnes illos qui volunt credere esse prædestinatos, et tamen de omnibus illis ait, et præparari illis voluntatem per gratiam, utique efficacem. Unde in lib. 2 contra duas Epistol. Pelagianorum, cap. 9, universe de omnibus ait: *Homo præparat cor, non tamen sine adjutorio Dei, qui tangit cor*, et inde concludit ibi illam sententiam in Concilio Arausicano receptam: *Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo*, utique sive prædestinatus sit, sive reprobus. Ergo etiam præscitus, quando credit, habet vocationem, non tantum qua possit credere, sed qua fiat credens, licet non eo singulari modo quo prædestinatus; et eadem ratio est de vocatione ad justitiam seu pœnitentiam, et similes actus.

5. *Prædestinatio alia perfecta, et simpliciter talis, quæ est ad æternam gloriam; alia vero secundum quid.* — Ratio autem in contrarium facta falsum assumit, quia probabilius est Deum prædefinire omnes actus supernaturales, etiam reproborum. Et licet demus non prædefinire illos illo singulari modo quo prædefinit actus prædestinatorum, utique ex intentione efficaci salvandi illos, et ut tales actus istis cum effectu prosint ad æternam salutem, nihilominus certum est, ex certa præscientia dare illis talem vocationem, qua credant vel ament, saltem ad tempus; et hoc satis est ut gratiam efficacem illis gratuito conferat. Unde non displicet distinctio aliquorum, dicentium aliam esse prædestinationem perfectam et simpliciter talem, quæ est ad æternam gloriam, de qua loquitur Paulus ad Roman. 8, et aliis locis; aliam vero esse prædestinationem secundum quid, scilicet ad justitiam, vel ad finem temporalem, et sic gratiam efficacem semper dari ex aliqua prædestinatione istarum, servata proportionem. Hoc enim videtur significasse Augustinus dicto c. 7 de Corrept. et grat., in fine, dicens eos qui ita vocantur, ut interdum credant, vel justii

sint, licet postea a fide vel conversatione Christiani hominis sic lapsuri sint, ut tales hujus vitæ finis inveniat, eos (inquam) esse ex illis de quibus dictum est: *Multi vocati; non in eis de quibus dictum est: Pauci electi.* Et tamen (inquit) *quis negat eos electos, cum credunt, et baptizantur, et secundum Deum vivunt*; quia nimirum ad aliquid electi jam conspiciuntur, licet incertum nobis sit an sint simpliciter electi, ut in eo, ad quod efficaciter vocati sunt, perseverent, et ita gratia efficax semper datur ex aliqua prædestinatione, saltem ad gratiam, vel fidem, aut simile donum, quod etiam sumi potest ex Augustino, dicta quæstione secunda ad Simplician.

6. *Secundum dubium.* — Secundum dubium est, an efficax gratiæ auxilium pertineat solum ad statum naturæ lapsæ, vel etiam in statu innocentiae fuerit necessarium. Cui dubio solum potest occasionem præbere locus Augustini præcedenti capite allegatus, ex lib. de Corrept. et grat., cap. 11, ubi de primo homine dicit tale adjutorium ei datum esse, *quod desereret cum vellet, et in quo perseveraret si vellet, non quo fieret ut vellet.* Et subjungit adjutorium quod hominibus lapsis datur, in hoc esse majus et potentius, quod per illud efficitur ut homo velit. Et infra significat ideo tantam, tamque efficacem gratiam, non esse datam primo homini, quia tunc liberum arbitrium ita liberum erat, ut et bene velle posset et male; nunc autem propter infirmitatem naturæ lapsæ necessarium esse auxilium, quod hominem velle et benefacere faciat.

7. *Assertio.* — *Probatur.* — Sed nihilominus sine ulla dubitatione dicendum est, etiam in statu innocentiae fuisse necessarium auxilium efficax ad actus supernaturales efficiendos. Probatur, quia necessitas hujus auxilii non est orta ex lapsu naturæ humanæ, nec ex defectu virium ad bene operandum contracta, sed ex intrinseca perfectione supernaturalium actuum, cujus signum est, quia non tantum ad actus difficiles ob gravem tentationem, nec solum ad collectionem actuum, vel perseverantiam, sed simpliciter ad singulos actus est necessarium hoc auxilium, ut ostendimus capite præcedenti: supra autem, lib. 2 et 3, ostensum est necessitatem gratiæ ad singulos actus non oriri ex originali peccato, sed ex perfectione et excellentia talium actuum; ergo simpliciter in presenti necessitas auxilii efficaciis, cum sit ad singulos actus, non est orta ex peccato originali: ergo fuit etiam in statu innocentiae, quia in illo voluntas hominis non